

validavit et insuper voluit, ut impostorum facultatibus archiepiscopi ab Apostolica sede impetratis perdurantibus, sive absolutis iterum impetrandis, omnia ac singula, quae talem erectionem respiciunt, scripto fiant, tam nempe postulatio quam erectionis ejusdem concessio, quarum instrumentum in codicibus archiepiscopatus remaneat et testimonium saltem in codicibus parociae inseratur.

Die 28. Sept. 1838.

(Anal. J. P. 1858. p. 771.)

Ad dub.: An qui habet facultatem erigendi Viam Crucis, benedictione tabularum et crucium prius facta, teneatur ipse tabulas collocare et stationes percurrere, ut valida sit erectio? An benedictione tabularum et crucium facta a sacerdote legitime delegato alter quicumque tabulas collocare possit privatim sine caeremoniis et etiam in alio tempore?

Sacra Congregatio indulgentiis sacrisque reliquiis praeposita praemittens quod in erectione Viae Crucis benedicendae tantum sint Cruces, minime vero tabulae seu picturae ad praefata dubia sic respondendum esse censuit, ad primum: negative.

Ad secundum: Affirmative.

(Anal. J. P. 1858. p. 772.)

Beatissime Pater! Actualis episcopus Brugensis in Belgio S. V. humiliter exponit, quaedam dubia in dioecesi sua existere circa valorem indulgentiarum sacrosanctae Viae Crucis orta ex responsis, uti asseritur, unius ex consultoribus s. Congregationis indulgentiarum et ss. reliquiarum, ex quibus eruebatur pro valore indulgentiarum s. Viae Crucis praeter ordinarias condiciones requiri:

1. Ut sint quatuordecim cruces.

2. Ut eae in ecclesiis ita collocentur, ut incipiant a cornu evangelii et desinant in cornu epistolae. Cum vero in hac dioecesi Brugensi uti et in toto Belgio a tempore immemorabili contrarius extiterit usus, nempe ut loco quatuordecim crucium quatuordecim Icones mysterii cujuslibet stationis adhibeantur et ita dispositae sint, ut incipiant a cornu epistolae et desinant in cornu evangelii, juxta usum instituendae processions in Belgio, cumque ex utriusque hujus usus immutatione in quibus ecclesiis hujus dioeceseos facta (in vim praedictorum responsorum), incommoda necnon obloquia oriantur, hinc ad S. V. humiliter recurrit praefatus episcopus Brugensis, quatenus dignetur declarare

1: An loco quatuordecim crucium possint adhiberi et retineri 14 Icones vel tabulae depictae repraesentantes mysteria cujuslibet stationis?

2. An indifferens sit, ut incipiant a cornu epistolae et desinant in cornu evangelii ac viceversa. Et Deus etc. Ex Secretaria S. C. indulgentiarum die 13. Martii 1837 dubiis propositis super exercitio Viae Crucis respondetur ad 1: Negative, possunt, ubi commode fieri potest (ait Summus Pontifex Benedictus XIII. in sua constitutione: *Inter plurima**) quinto nonas Martii 1726 super exercitio Viae Crucis retineri quatuordecim Icones vel tabulae depictae stationes repraesentantes Viae Crucis vel quatuordecim cruces prius benedictae supra quamlibet iconem vel tabulam depictam sunt collocandae et retinendae. Non

*) Vd.: *Via Crucis*. (Indulg. Constit. Bened. XIII.)

enim benedicuntur Icones sed cruces ad acquirendas indulgentias eidem exercitio adnexas.

Ad 2. Non est de necessitate praeepti, ut ad acquirendas indulgentias incipiendum sit pium exercitium Viae Crucis a cornu evangelii, haec tamen est consuetudo ac praxis generalis, quae piis est innixa congruentiae rationibus. In quorum fidem etc.

Die 13. Mart. 1837.

(Anal. J. P. 1858. p. 772.)

e) Nullitas.

Vd.: *Via Crucis*. (erectionis facultatis tenor n. 1; erectionis modus ab Ep.)

f) Per Subdelegatum.

Vd.: *Via Crucis*. (erectionis modus ab Ep. etc.)

3) Indulgentiae.

Vd. pag. 767-774.

a) Amissio.

Vd.: *Via crucis*. (benedict. amissio.)

b) Falsae et verae.

Nuper Sacrae Congregationi Indulgentiis sacri quae reliquiis praepositae relatum fuit passim evulgari summarium quoddam indulgentiarum germanico idiomate conscriptum, quod latine versum incipit: „Indulgentiae, quae concessae fuerunt a sa. mem. Papa Sixto V., Paulo V., Urbano VIII., Innocentio X., Alexandro VII., Clemente IX. super coronis, crucibus factis Hierosolymis et Bethlehem, denuo confirmatae a Summis Pontificibus Clemente X. et Innocentio XI., die 11. Junii 1670, impressum Augustae a Joanne Michaelae Labbert anno 1720. Cum autem in dicto summario nonnullas indulgentias falsas aut apogryphas aut ab Apostolica Sede revocatas contineri deprehensum fuerit, ideo, ne fideles decipiantur, eadem Sacra Congregatio habita die 11. Martii 1721 praedicti summarii Augustae impressi

vel denuo ubicumque imprimendi usum interdixit, illud prohibuit sub poenis in Indice librorum prohibitorum contentis declaranda gestantes cruces et coronas, quae loca Terrae sanctae et sacras reliquias ibi existentes tetigere, illas dumtaxat indulgentias lucrari posse, quas san. mem. Innocentius XI. literis in forma brevis emanatis die 28. Januarii 1688 praedicta gestantibus et pia opera in eodem brevi praescripta devote peragentibus concessit. Insuper cum eidem S. Congregationi pariter delatum fuerit nonnullos turpis lucri cupidos non sine magno fidelium scandalo praedictas cruces et coronas publice vendere aut mercibus commutare ausu temerario non erubescere: ideo stricte prohibuit, ne imposterum aut publice aut secreto vendantur aut quomodocumque commutentur addita etiam declaratione, quod non transeant personam illorum, quibus prima vice distribuuntur et quod neque commodari aut precario dari possint et quod aliqua re ex praedictis deperdita pro ea subrogari altera non valeat, quod si secus fiat, praedictae cruces et coronae careant indulgentiis jam concessis. Cum etiam Sacrae Congregationi Indulgentiarum innotuerit evulgatum fuisse alterum summarium indulgentiarum germanico pariter idiomate conscriptum absque loco editionis et nomine impressoris, cujus initium latine redditum est: „Indulgentiae, quae crucibus Calvaricenis concessae fuerunt a Romanis Pontificibus Pio V., Gregorio XV. et Clemente X., denuo confirmatae ab Innocentio XII.“ Et incipit: „Pro consolatione christifidelium et sanctae Crucis amatorum,“ in quo multae indulgentiae penitus confictae, apogryphae et falsae deprehensae fuerunt, sacra Congregatio dicti summarii impressionem et usum sub iisdem poenis in Indice librorum prohibitorum contentis interdixit. Quibus

omnibus per me Secretarium Sanctissimo Domino nostro Innocentio XIII. relatis die quarta mensis Junii Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis approbavit et in omnibus executioni mandari jussit. Datum Romae die quinta ejusdem mensis anni 1721. L. Card. Picus praefectus. Raphael Cosmus de Hieronymis Secr.

(Anal. J. P. 1858 pag. 779.)

c) Modus lucrandi.

Beatissime Pater. Fr. Sigismundus Sacerdos et concionator Capucinus, Helveticae provinciae alumnus, pedibus S. V. humillime provolutus solutionem sequentis dubii enixe expostulat. Nempe Summus Pontifex Benedictus XIV. in suis monitis ad recte peragendas Viae Crucis stationes, editis die 10. Maji 1742 et praecipue sub numero VII. sic ait: VII. Che essendo eretta la Via Crucis nella chiesa, per quel tempo degli uffizii divini, e della santa messa, e quande in chiesa vi sia sul concorso di populo, che possa cagionar tumulto e disturbo, si astengano di praticarlo, tanto maggiormente, che non essendovi impedimento, si devono visitare ad una le stazioni. Ex hujus moniti conclusione dubium oritur, unde quaeritur: *Utrum christifideles in magni populi concursu, maxime cum ecclesia repleta et compressa sit devotis, possint sine corporis motu de loco in locum indulgentias Viae Crucis lucrari?*

Et S. Congregatio indulgentiis sacrisque reliquiis praeposita etc. respondit: Negative, singula enim Summorum Pontificum decreta affirmant, inter alias conditiones pro acquirendis stationem Viae Crucis indulgentiis necessario requiri aliquem corporis motum ut clarius declaratum est ab hac S. Congregatione die 30. Sept. 1837.

Che si passi da una stazione all'altra per quanto permette o la moltitudine delle persone che la visitano, o la ristrettezza del luogo, dove sono erette. — In quorum fidem.

Datum Romae ex secretaria ejusdem S. Congregationis Indulgentiarum die 26. Februarii 1841.

(Anal. J. P. 1858. p. 774.)

Ad dub.: Ad lucrandas indulgentias Viae Crucis in ecclesia vel oratorio erectae annexas requiritur recitatio sex Pater et Ave post quatuordecim stationes? Sacra Congregatio respondit: Negative. Anno 1836. (*Ibid.* p. 775.)

Recitatio orationis dominicae et angelicae salutationis tam pro unaquaque Viae Crucis statione quam sexies ipsas preces iterare post absolutas omnes stationes, est tantum laudabilis consuetudo a nonnullis inducta, minime vero necessaria ad lucrandas hujus Viae Crucis indulgentias ex admonitionibus servandis pro Viae Crucis exercitio peragendo jussu et approbatione editis tum Clementis XII. sub die 30. Aprilis 1722 tum Benedicti XIV. sub die 10. Maji 1742.

Die 2. Junii 1838. (*Ibid.*)

Ad dubium: An sex Pater, Ave et Gloria requirantur ad lucrandas indulgentias Viae Crucis sive stationes recitentur privatim sive solemniter cum concursu?

S. Congr. respondit: Talem recitationem esse tantum pium usum laudabilemque consuetudinem a fidelibus inchoatam, ut patet ex monitis S. Congregationis jussu Clementis XII. sub die 3. Aprilis 1731 editis.

Ad dub.: An quaedam stationes, exempli gratia, prima, decima quarta et quaedam aliae si solae visitentur, habeat unaquaeque indulgentiam plenariam?

S. C. respondit:

Negative.

Die 3. Aug. 1842. (*Ibid.*)

Ad dubium: An indifferens sit, ut incipiant in cornu evangelii aut viceversa?

S. C. resp.: Non est de necessitate praecipi ut ad acquirendas indulgentias incipiendum sit plium exercitium Viae Crucis a cornu evangelii; haec tamen est consuetudo ac praxis generalis, quae piis est innixa congruentiae rationibus.

Anno 1837. (*Ibid.*)

Ad dub.: An quando possessor coronae Domini vel crucis, cui applicatae sunt indulgentiae Viae Crucis, preces praescriptas recitat una cum aliis qui sibi non habent sive coronam sive crucem tali privilegio ditatam, possint adstantes et simul recitantes easdem indulgentias lucrari, quas lucratur possessor coronae suae crucis?

S. C. resp.: Negative absque speciali facultate.

Anno 1842. (*Ibid.* p. 777.)

Ad dub.: An omnes christifideles ex adversa valetudine vel ex justa aliqua causa praepediti quin valeant visitare Viam Crucis in ecclesiis possint Via Crucis indulgentias lucrari meditando de passione Christi coram tabulis lineari pictura expressis in libro ad hoc composito, prout fuit concessum a SS. PP. Pio VII. fel. mem. in Brevi ad venerabilem archiepiscopum Burdigalensem transmissio sub die 20. mensis Augusti anno 1822?

S. C. resp.: Affirmative, dummodo libellus, quem in lucem prodiit clarus vir Petrus Bombelli, ex speciali privilegio Pii VII. sub die 10. Januarii 1804 ac Pii VIII. sub die 25. Nov.

1830, habeat in calce decretum hujusmodi concessionis subscriptum a rev. patre ministro generali Ordinis Minor. Observ. s. Francisci.

Die 3. Aug. 1842. (*Ibid.* p. 778.)

Galliarum.

Emi ac Rmi DD. In Gallia plurimi fideles persuasum habent, se lucrari posse Indulgentias *Viae Crucis*, dummodo quatuordecim stationes visitent in uno eodemque die etiam non uno tractu sed interposito majori minorive inter stationes intervallo. Item putant pro libitu vel commodo dividi posse Rosarium B. M. Virginis, ita ut acquirantur tum Indulgentiae adnexae recitationi quotidianae unius coronae, dummodo intra diei spatium licet non uno tractu sed diversis temporibus recitentur quinque denaria, tum Indulgentiae speciales sodalitatis SSmi Rosarii, dummodo intra hebdomadam quindecim denaria recitentur, licet in plures quam tres partes dividantur.

Haec autem interpretatio plurimum favet pietati spiritualique utilitati multorum utriusque sexus fidelium tam regularium quam saecularium, qui devotis hisce exercitiis uno tractu absolvendis, ut plurimum, impares, indulgentiis ipsis adnexis, cum suo animarumque in purgatorio detentorum dispendio quam saepissime frustrarentur, nisi eas modo superius exposito lucrari possent. Cum vero exortum sit ea de re dubium, ex eo praesertim quod contraria videatur doctrina nec non praxis Romae vulgo recepta, ad SS. D. Nostrum Pium Papam IX. humillimae porrectae sunt preces, ut Ipse suprema sua auctoritate quaestionem dirimere vellet et quatenus supradictam interpretationem veritate consentaneam non judicaret, benigne concedere dignaretur, ut deinceps modo

jam exposito acquiri possent Indulgentiae tum Viae Crucis tum SS. Rosarii.

Porro Sanctissimus Pater Episcopo cuidam ad haec respondere dudum dignabatur, se quidem iis personis quae ipsum Episcopum rogaverant, ut a Sanctitate Sua ea, de quibus supra enixe expostularet vel quae ea de re ipsum postea interrogarent, facultatem SS. Rosarium recitandi necnon sanctum Viae Crucis exercitium peragendi eo modo, qui in precibus supra expositus fuit, quando aliter status sui occupationibus praepediti, facere non possent, benigne concedere, quin tamen hanc suam concessionem scripto signandam censuerit, generalem vero facultatem, quae omnibus suffragetur fidelibus, nequaquam.

Quae cum ita sint et maxime intersit fidelium, praecipue Gallorum, commodo, ut hac in re omnis, si quae sit, erronea de medio tollatur opinio, praesertim ubi haec pretioso Indulgentiarum thesauro, ne acquiratur, officiat, placeat, quaeso, Eminentiis Vestris Romae opportunam emittere decisionem, quae utilissimam fidelibus fore nemo non viderit.

Et Deus etc.

Cum in sacra Indulgentiarum sacrarumque reliquiarum Congregatione ex supraenunciatis precibus proposita fuissent dubia

1: An fideles lucrentur Indulgentias viae crucis, dummodo quatuordecim stationes visitent in uno eodemque die, etiam non uno tractu sed interposito majori minorive inter stationes intervallo? Item an pro libito vel commodo dividi possit Rosarium B. Mariae Virginis, ita ut acquirantur tum Indulgentiae adnexae recitationi quotidianae unius coronae, dummodo intra dies patium licet non uno tractu sed diversis tem-

poribus recitentur quinque denaria, cum Indulgentiae speciales sodalitatibus SSmi Rosarii, dummodo intra hebdomadam quindecim denaria recitentur licet in plures quam tres partes dividantur? Et quatenus negative,

2) An supplicandum sit SSmo pro concessione?

Emi Patres in Comitibus generalibus diei 14. Dec. 1857 in Palatio Apostolico Vaticano habitis, audito consultoris voto, responderunt

1: Ad utrumque negative, exceptis confratribus quod attinet ad Indulgentias ipsis concessas pro recitatione integri Rosarii infra hebdomadam.

2: Ipsi Emi Patres non obstantibus rationibus P. Consultoris et conditionibus ab eo propositis, sub quibus gratiae impetratio a SSmo postulari posset, nempe tolerari saltem posse, ut fideles in privato tantum pio exercitio viae crucis necnon in privata recitatione tertiae partis SSmi Rosarii sine amissione Indulgentiarum eisdem piis operibus concessarum dividere possint in casu tantum legitimae causae stationes viae crucis et denaria seu vulgo *Poste* SSmi Rosarii, dummodo adimpleant omnia intra unius diei spatium necnon caeteras conditiones, responderunt: *Non expedire.*

Itaque facta per me subscriptum S. Congregationis secretarium SSmo Dno Nostro Pio Papae IX. de his omnibus fidei relatione in audientia die 22. Jan. 1858 Sanctitas Sua resolutiones Sacrae Congregationis confirmavit.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem S. Congregationis Indulgentiarum.

L. † S.

F. Card. Asquinius Praefectus.

Aloisius Colombo Secretarius.

(Ibid. p. 1222.)

Ad dub.: An quando possessor coronae vel crucis, cui applicatae sunt indulgentiae viae crucis, preces praescriptas recitat una cum aliis, qui sibi non habent sive coronam sive crucem tali privilegio ditatam, possint adstantes et simul recitantes easdem indulgentias lucrari, quas lucratur possessor coronae seu crucis?

S. C. resp.:

Negative absque speciali facultate.

Anno 1841.

(Ibid. p. 1226.)

d) Quomodo ab infirmis et carceratis lucrandae?

Vd. p. 779 decr. 3. Aug. 1842.

Pius PP. IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponendum nuper Nobis curavit dilectus Filius Raphael a Ponticulo Minister Generalis ut praefertur Ord. Fr. Min. S. Francisci jam ab hac Sancta Sede facultatem concessam fuisse, cujus vi Fideles vel infirmi vel carcere detenti aliave legitima causa impediti recitantes viginti vicibus Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam et Trisagium ante crucem, quam manu tenere debeant, benedictam a Ministro Generali Ord. Min. S. Francisci vel Provinciali aut a Guardiano quocumque dicti Ordinis indulgentias Stationum viae crucis seu Calvariae lucrari valeant. Cum vero ut idem dilectus Filius Nobis retulit in nonnullis regionibus Conventus praesertim recens erecti existant, qui Guardianos non habeant sed Superiores, qui Praesides nominantur, aut etsi habeant, saepe eveniat ut vel sacris ministeriis et spirituali proximorum commodo aut etiam aliis negotiis peragendis operam impensuri a respectivis Conventibus per aliquod temporis spatium abesse

debeant, quo tempore eorum vices gerunt, qui Vicarii Conventus nuncupantur, hinc fit ut saepe in dictis Regionibus nullus Frater ex eodem Ordine praesto sit auctoritate praeditus, quo piis Fidelium votis et spirituali consolatione satisfieri possit. Quare praefatus Minister Generalis enixe Nobis supplicavit ut in praemissis opportune providere ac ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignemur. Nos Fidelium commodo, quantum in Domini possumus, consulere et piis hujusmodi precibus obsecundare volentes praesidibus nunc et pro tempore existentibus in Conventibus Fratrum Ord. Min. S. Francisci, qui Guardianos non habent, necnon Vicariis Conventuum ejusdem Ordinis, qui absentibus Guardianis respectivi Guardiani vices gerunt, facultatem memoratam, quae ab hac sancta sede alias Ministro Generali, Provinciali et cuivis Guardiano praedicto Ministro Generali subdito concessa fuit benedicendi cruces cum annexis Indulgentiis Stationum viae crucis seu Calvariae, dummodo tamen omnia quae praescripta sunt ab eis serventur, tenore praesentium auctoritate Nostra Apostolica in perpetuum concedimus et elargimur. In contrarium facien. non obstant. quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XI. Aug. 1863.

Loco † Sigilli.

Pro D. Card. Paracciani Glarelli.

Jo. B. Brancaleoni Castellani
Substitutus.

Praesentes Literae Apostolicae in forma Brevis sub die 11. Aug. 1863 exhibitae sunt in Secretaria S. C. Indulgentiarum die quinta Septembris ejusd. anni ad formam Decreti ipsius S. C. diei 14. Aprilis 1856.

In quorum Fidem etc.

Datum Romae ex eadem Secretaria die et anno ut supra.

Copiae originali conformis.

A. Archipr. Princivalli Substitutus.

(Anal. J. P. 1864. p. 947.)

e) Quae et quibus concessae?

Vd.: *Via crucis* (erectionis facultas et locus.)

Declaratur in constitutione Innoc. XI. circa privilegia et indulgentias ordinis min. s. Francisci de observ. comprehendi eorundem loca viae crucis seu Calvarii.

Innocentius PP. XII.

Alias a fol. mem. Innocentio Papa XI. Praedecessore Nostro ad preces dilecti filii Francisci Diaz a s. Bonaventura Commissarii generalis curiae pro familia ultramontana ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia nuncupatorum super confirmatione quarundam literarum apostolicarum eidem ordini ejusque Ecclesiis, confraternitatibus, domibus, locis ac omnibus et singulis utriusque sexus personis obedientiae seu directioni Ministri generalis ordinis hujusmodi subjectis circa privilegiorum, indulgentiarum concessionem et communicationem respective concessarum emanarunt literae in simili forma brevis tenoris qui sequitur, videlicet:

Innocentius Papa XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus a s. Bonaventura, charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis catholici conciona-

tor et theologus ac in romana Curia pro ultramontana familia Ministro generali ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia nuncupatorum subjecta commissarius generalis, quod privilegia gratiae, concessionem, favores et indulgentiae etiam plenariae ac poenitentiarum relaxationes caeteraque indulta ordinibus, congregationibus, confraternitatibus, domibus, Ecclesiis, locis, benefactoribus ac omnibus et singulis utriusque sexus personis obedientiae seu directioni praedicti Ministri generalis fratrum minorum subjectis olim ab apostolica Sede concessa seu communicata per plurimum romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones et praecipue per literas fel. m. Clementis VIII. incipientes: *Ratio pastoralis*, anno 1597 expeditas, ac Pauli V., quae incipiunt: *Injuncti nobis*, anno 1609 concessas, et Urbani VIII. romanorum Pontificum praedecessorum pariter nostrorum incipientes: *In plenitudinem* et tertio Idus Maii 1625 datas, confirmata et sub aliquibus modificationibus innovata fuerunt: unde praefatae utriusque sexus personae observantiae seu directioni dicti ministri generalis subjectae, quibus memorata communicatio privilegiorum, indulgentiarum et concessionum tam inter se quam cum aliis ordinationibus, congregationibus ac societatibus etiam Jesu ac confraternitatibus concessa fuit juxta clausulas et praescriptum dictarum literarum apostolicarum et cum restrictionibus in illis appositis, et aliter ea usae fuerunt. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat ut praemissa firmiter subsistant et conserventur, praefatus Franciscus Commissarius generalis curiae praedictae Clementis ac Pauli et Urbani praedecessorum literas cum clausulis in eisdem contentis a nobis innovari et omnes aliorum romanorum Pontificum successorum concessionem ad fa-

vorem dictorum ordinum, congregationum, confraternitatum, locorum, benefactorum et aliarum utriusque sexus personarum praedictae obedientiae seu directioni subjectarum expeditas apostolicae confirmationis nostro patrocinio communiri plurimum desideret, Nos ipsius Francisci Commissarii generalis curiae votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum consilio et attentata relatione, quam vener. etiam frater noster Alderanus Episcopus Portuensis ejusdem S. R. E. Cardinalis Cybo nuncupatus dicti ordinis apud Nos et sedem apostolicam protector eisdem Cardinalibus super praemissis fecit, praedictas Clementis incipientes: *Ratio pastoralis*, ac Pauli, quorum initium: *Injuncti nobis*, et Urbani praedecessorum, quae incipiunt: *In plenitudinem* aliorumque Romanorum Pontificum successorum literas super praemissis respective emanatas, dummodo tamen sint in usu nec sint revocatae aut sub aliqua revocatione comprehensa sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis ac posterioribus constitutionibus et ordinationibus apostolicis regularibusque ordinis praedicti institutis non adversantur, auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus et approbamus illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robor ad-

ducimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate congregationis memoratorum Cardinalium. Decernentes etc. Non obstantibus etc. Volumus autem etc.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub anulo piscatoris die 5. Septembris 1686, pontificatus nostri anno decimo.

J. G. Card. Slusius.

Postmodum vero pro parte ejusdem Francisci Nobis exposito quod a nonnullis praetendebatur in praefata communicatione privilegiorum, indulgentiarum et gratiarum memoratis personis praedictae obedientiae seu directioni subjectis, sicut praemittitur, concessa minime comprehendi loca et Ecclesias terrae sanctae aliarumque partium Orientis existentium extra Jerusalem ideoque pro ejus parte Nobis supplicato ut loca et Ecclesiae hujusmodi ab eadem communicatione minime excludi declaramus: Nos supplicem libellum Nobis super praemissis porrectum ad Congregationem venerabilium pariter fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum remisimus pro voto; ipsa vero Cardinalium Congregatio per suum decretum die 16. Jul. 1695 emanatum praesertim Innocentii praedecessoris literis perpensis censuit, si ita Nobis placuisset, praedicta loca et Ecclesias terrae sanctae aliarumque Orientis extra Jerusalem esse comprehensa seu comprehensas in dictis privilegiis, indultis et indulgentiis, servatis tamen in omnibus et per omnia forma et tenore earundem literarum factoque Nobis subinde per tunc existentem memoratae Congregationis de praemissis relatione, Nos ipsius Congregationis sententiam approbavimus, prout in dicto decreto plenius dicitur contineri.